

Heinrich Rudolph Redecker

Heinricus Rudolphus Redeker/ I.U.D. P.P. Univers. Rostoch. Rector ... ad Cultum Spiritui Sancto debitum, Et festum eius in toto Christiano orbe hodie sacrum, devote celebrandum, Omnes ac singulos Academiae Cives, serio hortatur

Rostochi[j]: Kilius, 1666

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735662843>

Druck Freier  Zugang



29
HEINRICUS RU-
DOLPHUS *Redeker*/

J. U. D. P. P. Univers. Rostoch.

RECTOR, Sereniss. Ducis Mech-
lenb, Consil. & Consistori Ducalis

Assessor

ad Cultum

SPIRITUI
SANCTO

debitum,

Et festum ejus in toto Christia-
no orbe hodié sacrum, devotè
celebrandum,

Omnes ac singulos Academiae
Cives, seriò hortatur.



ROSTOCHI,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. cl. lcc LXXVI,

R. U. - Progr. 1666/6

1666



Salutem!



Um officii, quod in præsen-
tiarum, ex Decreto Rev. Con-
cilii, sustineo, ratio, mihi, circa
hoc anni tempus, de stupendo
sanctissimæ Trinitatis myste-
rio, Programma scribere injun-
gat. Videre mihi videor mul-
torum censuram, quasi falcem
in alterius messem velim mit-
tere, & quæ Theologorum ex-
quisito iudicio proponenda & interpretanda commissa
sunt, meis imponere humeris, incurrere. Cæterum cum,
definitore licet Ethnico, Jurisprudentia sit divinarum &
humanarum rerum notitia, & Jus publicum circa sacra
æquè ac Magistratus versetur. Justinianus Imperator,
uti ad omnes suos actus in nomine Domini progressus est,
& ab invocatione divini numinis exordia rerum sumsit,
ita primum sacrarum constitutionum titulum, de SS. Tri-
nitate incepit, tum ut Cives Imperio suo subjectos ad ve-
rum DEI cultum piissimo exemplo alliceret; tum ut, do-
cendo unicum salutis humanæ fundamentum, boni Ma-
gistratus officium sustineret; tum etiam ut ostenderet se
utriusque

261
utriusque tabulæ esse defensorem. Proinde nec alienum est ab officio hominis Christiani, minus æqui boniq; artem profitentis, si adorandum adorandæ Trinitatis mysterium, ubi, docente Athanasio, DEUM in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneramur, devotissimo mentis cultu contempletur. Fecit hoc, ut subditis suis exemplo præeat, & lumine clariore præfulgeat, Justinianus Romanorum Imperator religiosissimus, quando rejecta & anathematizata hæresi Nestorii, Eutychis, & Apollinaris, de summa Trinitate veneranda & plusquam cædro digna promulgavit Edicta, illaq; ad omnes Imperii sui partes, ut Christianæ fidei indubitatum haberet testimonium, misit: *Credimus enim, inquit, in Patrem, & Filium, & Sanctum Spiritum, unam essentiam in tribus hypostasis, seu subsistentibus personis, adoramus unam Deitatem, unam potestatem, Trinitatem consubstantialem l. s. & 6. C. de summ. Trin.* Secutus hætenus est Princeps omni laude superior, suos antecessores Christianissimos, Gratianum, Valentinianum & Theodosium, qui Symbolum Nycænum, seu infucatae religionis fundamentum, adprobantes, in verba hæc Spiritu & fide repleta, erumpunt: *Is Nicæna Assertor fidei, & Catholicae religionis verus cultor accipiendus est; qui omnipotentem DEUM, & Christum Filium DEI uno nomine, ubi pro uno nomine, legendum esse uno numine, Author est Pacius, confitetur: DEUM de DEO, lumen de lumine: qui Spiritum Sanctum, quem ex summo rerum parente & speramus & accipimus negando non violat: apud quem intemperate fidei sensus viget, ex incorruptæ Trinitatis indivisa substantia, qua græco verbo ὁμοῦσια rectè credentibus dicitur. Hæc profecto nobis probanda, hæc veneranda sunt. Videtis, Cives Christianissimi, quam eleganter leges Majestatis humanæ, cum legibus Majestatis divinæ conveniant, nostramq; salutem,*

)(2.

salutem,

salutem quærant: Videtis, quodnam sit fidei Christianæ
 fundamentum, scilicet ut unam Deitatem sub pari Maje-
 state, & sub pia Trinitate credamus. Comitari proinde,
 quod Pii veteres Proverbii loco usurparunt, Johannem,
 Christi præcursores, ad Jordanem debemus, & videbi-
 mus: Patrem in voce, Filium in homine, Spiritum San-
 ctum in columba, adeoq; adorandam Trinitatem mani-
 festissimè apparentem *August. tract. 6, in Johann.* Hæc est
 quam probandam & quam venerandam gloriosissimi Im-
 peratores mandarunt, undè dicitur una Deitas, *l. 1. l. 5.*
§. 1. l. 6 §. 1. una potestas, l. 5. §. 1. una essentia & indivisa
substantia, l. 2. §. 1. l. 6 §. 1. Una & par Majestas l. 1. unum nu-
men l. 2. §. 1. C. de summ. Trin. dicitur summa, quia ab ea,
 tanquam à causa prima, omnium rerum principia, pro-
 gressus & finis. *1. Tim. 6. v. 17.* Quoniam autem Spiritus San-
 cti festum, in toto Christiano orbe, hodiè celebratur, nos
 etiam, ut de hac Sacrosanctæ Trinitatis tertiâ personâ,
 ejusq; venerando cultu agamus, officii nostri ratione
 compellimur. Ejusdem autem, in sæpius allegato *titulo*
de summa Trinitate, triplex est consideratio. Spectatur
 enim *primò*, quatenus est una Trinitatis persona *l. 1. pr. l. 5.*
§. 1. l. 6. §. 1. d. 1. Spectatur *secundò*, quatenus ex eo incar-
 natus est Christus *d. l. 5. §. 1. l. 6. §. 1. l. pen. §. 2. l. ult. §. 2. de*
summ. Trin. Spectatur autem *tertiò*, quatenus virtutem
 suam & efficaciam in nos effundit. Hoc enim est quod di-
 citur in *l. 2. §. 1.* nos Spiritum Sanctum sperare & accipe-
 re. Quando itaq; Imperator, Spiritum Sanctum esse
 unam Trinitatis personam, affirmat, simul plura ad fidem
 necessaria comprehendit, & quidem (1) quod sit verus
 DEUS, Deitas autem ejus tum ex veteris, tum ex novi
 Testamenti tabulis probatur: tribuuntur enim ipsi divina
 nomina, quando dicitur Jehovah *2. Sam. 23. v. 3. Psal. 85.*
v. 9.

263

v. 9. *Act. 5. v. 3. 5. Ephes. 3. v. 5. 2. Pet. 1. v. 21.* tum quia ipsi
essentialia DEI attributa, cultusq; divinus conferuntur,
uti latius deducit Gerh. *Loc. de S. S. n. 24. & seqq.* (2) Distin-
cta & quidem tertia Trinitatis persona; Personalis autem
proprietas Spiritus Sancti hæc est, quod à Patre & Fi-
lio, in abstruso illo Trinitatis Mysterio, ineffabiliter proce-
dat, unde hypostaticus ejus Character provenit. *1. Corinb.*
2. v. 10. 2. Thessal. 2. v. 8. Matth. 3. v. 16. Quatenus itaque
Spiritus Sanctus est persona producta, & procedens à Pa-
tre & Filio, non potest esse prima, nec secunda Trinitatis
persona: Ergò necesse est illum ratione productionis &
originis manere tertiam personam. Quando autem Im-
perator Christum, ex Spiritu Sancto incarnatum esse di-
cit, ad ipsum fundamentum articuli fidei, ex quo salus
hominum dependet, respicit. Hunc a. ineffabilem conce-
ptionis modum, cum in hac vita perfectè & plenè adum-
brare non possimus, quia mens deficit & vox silet, ratione
humanam in vera fide, verbo DEI submittimus, & cum
Matre altissimi exclamamus: *Quomodo fiet istud?* adeoq;
certitudini rei subscribimus, & Mysteria altissimi, ex in-
dubitato verbo DEI nobis revelata, potius veneramur
quam perscrutamur. Quando denique in *d. l. 2. §. 1. C. de*
summa Trin. Imperatores, nos à summo Parente acci-
pere Spiritum Sanctum, fatentur, haud probabit Accur-
sius suam, quam illis verbis adplicat, Glossam, quod Impe-
ratores loquantur secundum Græcos, qui S. S. à Filio DEI
procedere negant. Notum quidem est ex Historia Ec-
clesiastica, recentiores Græcos concedere, quod Spiritus
Sanctus procedat à Patre per Filium, negare autem quod
procedat à Patre & Filio. Quoniam autem illo errore,
quo à priscorum Græcæ Ecclesiæ Doctorum consensu,
quales, referente Gerhardo d. *Loc. Theol. de Sp. S. §. 84.*
fuerunt

fuerunt Didym. Alex. Athanasius, Basilius, Cyrillus, Chry-
 sostomus, qui in quarto & quinto seculo vixerunt, recentio-
 res recesserunt, qui in Seculo nono tempore Nicolai de-
 mum, aut si Baronio *ad ann. 766. n. 13.* omninò fides habenda,
 Seculo octavo, cœpit, & authore Photio Anno 1050,
 adeoq; Seculo undecimo, teste *Bellarmino*, quem adducit
Alsted. in Chronol. Heres. ad An. Christi 800. p. 406. erupit, Ju-
 stinianus Imperator, qui in Seculo sexto vixit, minus Gra-
 tianus, Valentinianus & Theodos. qui *d. l. 2.* promulga-
 runt, & Seculo quarto vixerunt, non fuerunt corrupti,
 utiqve, contra iniquam hanc Accursii criminationem,
 defendendi sunt. Cum nec verborum contextus, qui in
 dicta lege occurrit, nec præsumtio, quæ pro optimis Im-
 peratoribus militat, errorem illum schismaticum admit-
 tant. Loquuntur enim hæc Imperatores non aliter
 ac antiqua Concilia, vel ipse potius Christus, qui omnia
 Concilia & omnes Conciliorum Patres superat, locutus
 est *Johann. 15. v. 26.* quapropter ille locus, ex quo Accur-
 sius sinistram concepit opinionem, recentiorum Græco-
 rum sententiam magis evertit, quam probat. Quando
 enim ibi dicitur, nos Spiritum Sanctum accipere à sum-
 mo rerum parente, tunc non excluditur Filius; *tum* quia
 ibi, æquè ac in *d. l. Johannis*, non additur particula exclu-
 siva, quod à solo Patre eum accipiamus, vel quod à solo
 Patre procedat; minus additur negativa quod à Filio non
 procedat; ergo assertum illud Accursii, per quod erroris
 incusantur Christiani Imperatores, eum erroris reum fa-
 cit. Si enim valeret talis consequentia quam valere, ad-
 eoq; contra rectè credentium sententiam, in *d. l. 2.* scri-
 ptum esse, haud obscure innuit *Cujac. l. 12. Obs. 26.* quam-
 vis illam sententiam in *sc. C.* non sustineat: Spiritus
 Sanctus procedit à Patre, vel illum accipimus à Patre:
 Ergo

265

Ergò non à Filio ; tum eadem rationis consequentia dicere possemus : Pater est solus verus DEUS *Johann. 17. v. 3.* Ergò nec Christus, nec Spiritus Sanctus sunt verus DEUS. Tales autem consequentiæ sunt instar ruinosæ domus, quæ simul & damnum & periculum minantur. Potest potius inverti Accursii argumentum & egregius S. Scripturæ consensus inde elici: Spiritum Sanctum accipimus à Patre: Ergò etiam à Filio. Quia Pater essentiam suam ex qua procedit S. Sanctus, ab æterno communicavit Filio suo, nam Pater & Filius ratione essentiæ suæ & Deitatis sunt unum. Utri itaque Filius est de DEO DEUS, ita etiam Spiritus Sanctus de eodem procedit. Unde *Augustinus, Cur, inquit, Filius dixit, de Patre procedit Spiritus Sanctus? Cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre & quod ipse est, de quo & ipse est? Unde istud est quod ait: Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Cum hac autem interpretatione bellè consentit dictum Imperatoris, quo, à summo Parente nos sperare & accipere Spiritum Sanctum, fatetur. Non enim illis verbis agit de Spiritu Sancto quatenus est tertia Trinitatis persona, sed virtutem & efficaciam ejus, qua nos illuminat & in verâ fide confirmat, veneratur. Cæterum quod Spiritus Sanctus à Patre simul & Filio procedat, indubitatis sacræ Scripturæ testimoniis probatur, dicitur etenim *Spiritus Filii, Gal. 4. v. 6. Spiritus Christi, Rom. 8. v. 9. Phil. 1. v. 19. Spiritus Oris Christi, 2. Thessal. 2. v. 8.* quem Christus dedit suis discipulis, *Johann. 20. v. 23.* Non autem geminus, sed unus est Spiritus, Patris scilicet & Filii, unde dicitur *Spiritus DEI 1. Corinth. 2. v. 11, 12.* Illis proinde verbis quibus Imperatores, nos Spiritum Sanctum à Patre sperare & accipere, fatentur, nihil aliud quam ipsum Spiritus Sancti officium, quod in sanctificatione consistit, *1. Thess.*

2. v. 13.

2. v. 13. qva reddimur vasa misericordiæ divinæ, plantulæ
Paradisi, & domicilia Sacrosanctæ Trinitatis, demonstrant.
Nostrum itaq; erit, Cives Christianissimi, in Sacro-sancto
hoc Festo non tantum ore fateri, Spiritum Sanctum esse
verum DEUM, tertiamq; adorandi Trinitatis Mysterii
personam, quæ à Patre & Filio ineffabili modo ab æterno
procedit, & per quem corda credentium illuminantur,
sanctificantur, & ad æternam vitam renovantur: sed fide
verâ eum debemus probare, & precibus ardentibus, quibus
Spiritus Sancti dona in nobis augentur, indefinenter
adorare, ut accendat in nobis veram dilectionem DEI &
proximi. *Qui enim Spiritum Christi non habent, non
sunt ejus. Qui autem Spiritu DEI aguntur, hi sunt Filii
DEI: Quia Fructus Spiritus est Charitas, Gaudium, Pax,
Longanimitas, Benignitas, Bonitas, Fides, Mansuetudo, & Con-
tinentia,* uti loquitur Apostolus *ad Gal. 5. v. 22.* Ego proinde
ex animo precor, ut Spiritus Sanctus actiones carnis in
nobis mortificet, ne graveolens peccatum illum ex cordi-
bus nostris expellat; ut corda nostra illuminet, ne in
mundi tenebris concidamus; ut vivificet & sanctificet
nos, ne expellamur ex cœlesti Hierosolymâ, in qua
Jus Civium, per meritum Christi, impetra-
vimus, sine sanctimonia enim ne-
mo videbit DEUM.

Rostochii sub Sigillo Rectoratus, ipso
die Pentecostes, Anno Salutis 1666.



Ergò non à Filio; tum eadem rationis
re possemus: Pater est solus verus DEUS.
Ergò nec Christus, nec Spiritus Sanctus
DEUS. Tales autem consequentia sunt
mus, quæ simul & damnum & periculum
est potius inverti Accursii argumentum
Scripturæ consensus inde elici: Spiritus
pimus à Patre: Ergò etiam à Filio. Quod
suam ex qua procedit S. Sanctus, ab at-
vit Filio suo, nam Pater & Filius ratio-
Deitatis sunt unum. Uti itaque Filius
ita etiam Spiritus Sanctus de eodem pro-
cedit, *Cur, inquit, Filius dixit, de Patre pro-
cedit? Cur putas, nisi quemadmodum ad-
quod ipse est, de quo & ipse est? Unde
Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me
autem interpretatione bellè consentit
ris, quo, à summo Parente nos speramus
tum Sanctum, fatetur. Non enim
Spiritu Sancto quatenus est tertia Trin-
vitutem & efficaciam ejus, qua nos in
fide confirmat, veneratur. Cæterum
ctus à Patre simul & Filio procedat, in-
pturæ testimoniis probatur, dicitur et
Gal. 4. v. 6. *Spiritus Christi*, Rom. 8. v.
ritus Oris Christi, 2. Thessal. 2. v. 8. quod
suis discipulis, Johann. 20. v. 23. Non
sed unus est Spiritus, Patris scilicet &
Spiritus DEI 1. Corinth. 2. v. 11. 12. In
quibus Imperatores, nos Spiritum Sanctum
re & accipere, fatentur, nihil aliud quam
Sancti officium, quod in sanctificatione*



265
ia dice-
17. v. 3.
is DE-
sa do-
r. Pot-
gius S.
m acci-
entiam
unica-
sua &
DEUS,
e Augu-
us San-
erre &
od ait:
m hac
erato-
e Spiri-
agit de
na, sed
n verâ
is San-
a Scri-
us Filii,
9. Spi-
dedit
minus,
licitur
verbis
spera-
iritus
Theff.
2. v. 13.